PROGRAMMA

# IO. PHILIPPI SLEVOGTII, D.

In Academia Ienensi antecessoris, Facultatis iuridicæ & Scabinatus Senioris, illiusque hoc tempore DECANI

*Lectioni auspicali*

ANDREÆ FRIDERICI MYLII

Candidati iuris vtriusque clarissimi

*premissum.*

IENAE, M DCC VI

LITTERIS GOLLNERIANIS



Ollemne documentum ſtudiorum, quibus ad ſummos in Academiis honores iuuentus proficit, daturus eſt, eaque gratia, Deo volente, conſueta craſtini hora, in publica iureconſultorum cathedra ſiſtetur, ANDREAS FRIDERICVS MYLIVS, candidatus iurium clariſsimus. Delegit vero, in experimentum virium, legem VII Cod. *De bonis quæ liberis:* dignam, cuius occaſione, de parentum in liberorum bonis iure, luculentius commentetur. Habent enim parentes, a primo liberorum ortu, in ipſas perſonas, certam poteſtatem; & ſi quid ad eos rerum peruenerit, de his ſtatuendi arbitrium. Quod quum iure naturæ ac gentium aliud; aliud diuerſorum populorum legibus, & in patribus præcipue ſingulare, olimque prorſus enorme, iure Quiritium noſcatur; eſt omnino prudentis legum, ſcire ſingula probe diſcernere.

Atque in vniuerſo cuiusque ciuitatis iure id cauendum, ne eodem omnia loco ducantur; confuſis temere & naturalibus & mere ciuilibus decretis. Quam in rem, poſtquam Hugonis Grotii De iure belli ac pacis immortale opus prodiit, vt & ſuccentiua aliorum opera; plurimum nacti ſumus præſidii. Tametſi, quo acutiore quisque ingenio fuit, eo auidius a populari via receſsit, & ante ceteros videri voluit ſapuiſſe. Tanto ſubinde eorum, qui incautius legunt, & eumprimis minus habent eruditionis ac iudicii, periculo, vt in -tu ſint viri prudentisſimi, ne progreſſu audaciæ, quisque ſibi fingat, pro captu, aut affectu ſuo velit, iurisprudentiam.

Enimuero, quum neminem habeamus iuris naturalis certiorem ctiorem magiſtrum atque interpretem, quam ipſum Devm: -litterario orbi conſulunt, qui dogmatum ſuorum Sacras litte- normam: ne pro naturæ principiis ac præceptis nobis ſuæ quidem rationi pulchre conſonent; at diuini auctoritate ve queant defendi. Quumque ſatis conſtet, tam imbecillam, & oribus obnoxiam eſſe humanam mentem, vt ſæpe, quod rationi ſanæ vel maxime videbatur conforme, a vero procul aberret: cur non tutisſima incedamus via, & Lydium illum ſtatuamus lapidem, ad quem commenta noſtra exigamus?

Fatemur ſane, eum Sacrarum litterarum, & tam noui quam veteris Inſtrumenti, ſcopum non eſſe, vt tradat diſciplinam iuris naturalis; neque illæ prohibent, quo minus hæc ad genuinæ leges methodi concinnetur. Gentes etiam, veri Dei ignaræ, argui violatæ legis naturæ ex merito nequeant, niſi ad eandem cognoſcendam, haud opus

pus

pus foret reuelata religione. Attamen tradi nihil omnino debet, tanquam principium iuris naturæ; nihil tanquam ab eo præceptum, aut vetitum, permissumve, quod moralibus Scripturæ sacræ principiis ac regulis aduersetur. Tenebras etiam iure vocaueris, quod destituitur in his verbi diuini assensu & luce. Quas qui vltro importat iuris naturalis doctrinæ, dum poterat rationem suam longe certius illustrare: minus quam vel vulgus profanorum est excusandus.

Porro & hoc largimur, debere gentes a Christianis sacris alienas, atque insuper litterarum omnium rudes, eam sequi vitæ rationem, vt tametsi ne nomen quidem iuris naturæ, siue vniuersalis, audiuerint, nihil huic repugnans admittant. An ergo fas sit Christiano homini, naturæ leges, ex quibuscunque placuerit principiis, deriuare? Verissima indaganda & tenenda est via. Nec satis fuerit, venditare hæc & illa pro rectæ principiis rationis, ac speciose tueri eadem posse. Profecto in tam multiplici ingeniorum varietate, tamque pronis plerisque ad dissensum, nulla datur, in hoc quidem genere, certior rationis nostræ norma, quam diuinarum litterarum auctoritas. Huic quicunque actus conueniunt, aut repugnant, eos tu securus honestos statue vel turpes, & iure naturæ iussos aut interdictos, siue accipiant dogmata tua ignari, vel contemtores Scripturæ sacræ, siue repudient. Nam ad hoc quidem es natus, vt inseruias aliis: sed sine dispendio veritatis; sine dispendio cultus & obsequii, q[illegible] debentur Deo. Neque tua tunc vel leuissima culpa subest, si qua[illegible] dis præcepta, alii aspernentur. Sibi namque ipsis obstant om[illegible] quod verum esse, submotis prauis opinionibus, facile noscituri [illegible] obstinate nolunt videre, tenebras accenso sibi lumini præfe[illegible]es

Equidem cum Mahumetanis, & qui vel gentilia vel nulla [illegible] sunt sacra, tam pacis, quam belli negotia Christianis intercedunt: communemque habemus omnes actionum regulam, [illegible]ionem. Nemo etiam hostis loco est habendus, quia in sacris [illegible] a nostra, falsamque opinionem sectatur. Tune igitur illoru[illegible]atia discedas a via regia, & fundamenta ponas doctrinæ tuæ, quæ aut palam nulla, aut solam veri speciem præferunt, plena periculi, & pessimarum consequutionum? Neque enim spes est, fore vt libros tuos legant, velintque inde erudiri. Itaque eorum potissimum ratio est habenda, quorum in ora & manus certus es venturas tuas lucubrationes: qui vtique Christiani sunt. Gentes etiam, & quos non dispari multum loco habemus, cum Mahumetanis Iudæi, quidnam tibi iure naturæ fas aut nefas esse videatur, quæque ex solo rationis tuæ

lumine, siue recte, siue peruerse, docueris, nihil pensi habent. Neque opus sibi credent, siue in commerciis, siue media inter arma, te doctore: vtilitate præcipue metientes omnia; cuius ratio homini non obtusissimo, nedum intellectu acri præditis, facile patet. Ergo frustra es: & insuper illorum, qui te ductorem expetunt, qui te vel audiunt, vel legunt; contra sapientis viri officium corruptor.

Nequaquam tamen illud volumus, doctrinam iuris naturæ, quia profanæ gentes, & Mahumetani, & Iudæi, libros Christianorum haud curant, ita tractandam esse, vt intelligi ab iisdem, licet voluerint, haud possint; aut vt disciplina, quæ ad vniuersum genus humanum pertinet, reddatur particularis. Quid enim, si vera sint, quæ tradimus? Hoc tantum nostri est officii, nihil non facere, ex quo diuini nominis gloria queat amplificari; & cauere serio, ne vlla in re gloriæ huic obstemus. Plus etiam profuturus est generi humano, qui ad Sacrarum amorem litterarum, & sincerum Numinis cultum, manu quasi lectorem ducit; quam qui nimio profanis placendi studio excogitat sapientiam, vt aberrantem longius a purissimis veritatis fontibus, ita magis magisque Christianorum animos corrumpentem.

Tradendæ quoque sunt artes, ac scientiæ; quod non diffitemur; ea ratione, quam cuiusque natura postulat: at vero iuris naturalis doctrina non ea est indole, vt ex Christianæ religionis dogmatibus nequaquam debeat vel illustrari vel emendari. Neque enim aliud docet nos DEVS per sanæ mentis lumen, quam quæ in veteri nouoque Instrumento vel vt honesta præcipit, vel vt turpia vetat, quæque tanquam ἀδιάφορα permittit.

Concedimus porro, doctrinam iuris naturalis vltra captum humanæ rationis non debere adscendere: sed ita demum, si ratio in se spectetur; non, qualis in hoc istove, & plerisque est hominibus. Nam sæpenumero, qui sibi, qui etiam aliis vel maxime videtur sapere: vere aut stupidus est, aut quod deterius stupore, prorsus delirat. Illud hinc cauendum, ne supra vires humanæ rationis ponamus, quod Caius, quod Seius, siue hebetiores fuerint, siue opinionibus occupati, non assequuntur. Siquid igitur in Sacris litteris transscendere censetur captum nostri intellectus, aut longius a vulgaribus principiis abire: non illico negandum est, ad iuris naturæ disciplinam pertinere. Remoue duntaxat inueteratas, sed conceptas falso opiniones: & agnosces, quæ Sacra tibi pagina inculcat, omnino a sana ratione præcipi. Quæ ingenerata olim; sed corrupta postmodum, aut obsita tenebris: ex quo vel primorum parentum lapsu, vel edu-

ca-

catione mala ac moribus, deprauata est natura nostrorum omnium, aut saltem tua, similiumque.

Profecto data opera stupet, qui non agnoscit, esse vere aliquod Numen, cuius immensae & potentiae & sapientiae debeatur, quidquid est in rerum natura. Qui non agnoscit, huic summo Numini acceptum referri debere, quidquid sumus ac valemus. Hocque ipsum ineffabili cura ac prouidentia sustentare, seruare & regere cuncta: huius nutui patendum esse: huius honori ac gloriae vnice consecrandum quidquid cogitamus, agimusque. Credasne igitur, huic Numini placere posse, vt primam quasi naturae sanciret legem, bellum in omnes omnium? Huic, quanta quanta eius sit sapientia & sanctitas, submota lege sua, moraliter indifferentes esse hominis actiones omnes: vt quamuis posita natura ipsius rationali (neque enim sine ea esse homo potest) nihil moraliter referat, siue conuenienter viuat illi naturae suae, siue in contraria omnia nitatur; siue colat DEVM, siue contemnat. Vt hoc pacto, respectu naturae hominis, quatenus rationalis est; aut respectu DEI, ad cuius imaginem homo creatus; moraliter nihil intercedat, quo minus iuberi queant quaeuis naturae hominis contraria, & vel extremus Numinis ipsius contemtus.

Iterum, iterumque dico, non naturae ipsius, a DEO acceptae, culpa, sed suo vitio stupet, qui non agnoscit, quo magis conueniunt iuris naturalis dogmata, e principiis genuinis deducta, cum diuinarum praeceptis litterarum, hoc magis probari eadem DEO, magisque certa habenda esse ac firma. Ex aduerso, non iuris naturae, id est, sanae rationis, sed lasciuientis, aut absurdi ingenii dictata sunt, quaecunque, a DEI sanctissimo verbo, quoque longius recedunt. Erg. doctrina quidem, ad rationis humanae captum adornata; sed quae praetextu illo errores, & arguta somnia, corrumpendis imperitorum animis nata, orbi obtrudit, e Christianorum scholis proscribenda est. Nemo enim tam fuerit rigidus, vt cura promouendae Christianae rei, omnem e scholis iuris naturae disciplinam; nisi Sacrae scripturae illustrata fuerit testimoniis, statuat exterminandam. Illi tantum improbantur, qui siue respondeant Christi Domini praeceptis, quae ipsi docent; siue repugnent ac reclament; aeque cordi habent, falsoque se praetextu rationis rectae tuentur.

Longius adhuc abeunt a vero tractandi iuris naturae tramite; qui vt hominibus atheis gratificentur, suaque omnibus, quamcunque de DEO ac religione sententiam sequantur, probent dogmata, nihil de DEO, nihil de religione, aut non vltra, quam quatenus con-

seruandi sunt in officio ciues, agunt & commentantur. Qui iuris naturæ limites tam arcte constringunt, vt pæne omnem eius vim exstinguant. Honesto scilicet obtentu: ne temere conturbentur fines disciplinarum, & quæ theologiæ moralis partes sunt, doctrinæ dentur iuris naturalis.

Sed quisquis vero animo agnoscit Numen; quisquis huic reddendam singulorum rationem verborum credit: in docendis aliis, non quæ hominibus arrideant, contemtoribus DEI, sed quæ nominis diuini gloria, & minime simulata postulat pietas, spectabit. Ducendi ad DEVM omni modo animi: nec id tentandum, quod ingeniis adhuc sinceris, sed minus cautis, possit nocere. Ac certe impios homines parum applaudere sententiis nostris, nullum vel crimen vel opprobrium habet: illud ira diuina, grauique supplicio dignum, eorundem iudicium prætulisse voluntati DEI.

Nequit iuris naturæ disciplina infitiari, quæ theologia de moribus statuit. Demus ergo hoc, quod sine errore concedi non potest: quæ de hominis erga DEVM officiis cognoscit humana ratio, ad naturæ ius haud pertinere. Num igitur nihil, aut parum referat, siue respicias ad Numinis existentiam, tanquam firmissimam hypothesin; siue, vt incertam, multisque expositam dubitationibus, in medio relinquas? Num fas tibi erit, quia speciose disputari multa contra nouissimum iudicium videmus; tametsi teste Paulo apostolo, neminem ista excusent: ipsam vim iuris naturalis ad præsentem hanc vitam restringere?

Qui ius tractat naturæ, non inuadere quidem debet munus ...num rerum doctoris, vt de his ex professo disputet: de cetero tamen ex scientia illa recte conclusiones petit, tanquam principia & fundamenta suorum dogmatum. Ergo ex theologia quoque sumere liceat, quæ tibi loco sint hypothesium: neque fas est, negare prorsus, aut tanquam dubium reiicere, quod argumentis tam firmis ab illa traditur, vt contraria sententia nec excusari ratione vlla, nec a quoquam sapientum vere possit approbari. Quanto igitur peccabis grauius, si vano prætextu declinandæ confusionis transeas, dum doces, quæ tui plane sunt muneris?

Neque est, quod metuas, si Sacræ scripturæ in doctrina iuris naturalis locus detur, pro limpidis & homogeniis fontibus mixtum substitui genus, vltra fines tuæ scientiæ. Nam illud duntaxat agitur, vt quia constat, non posse rationem rectam præcipere aut vetare, quæ Christianis regulis prohibentur vel iubentur, facilius dignosca-

ſcamus, vera an falſa ſit noſtra ratio. Neque principia, & dogmata, quæ Chriſti præceptis aduerſentur, iure dixeris ex fonte limpido; ſed qui ſordibus potius inquinatus ſit, profluere. Illa autem, quæ cum iis conueniunt, ſiue Chriſtianus legat ſiue gentilis: ſinguli, qui non improbi, nec pertinaces ſunt, agnoſcent vim veritatis. Quin ex harmonia humanæ ſapientiæ cum ſacris oraculis, diſcent profani amare & venerari, quæ Chriſtus Dominus, quæ Chriſti apoſtoli & ſectatores docent ac præcipiunt.

Tandem neque eſt, quod poſtules, permitti te tibi, vt ex ſolo rationis lumine deriues, quæ naturæ iure ſunt ſancita; facturum poſtea cuiuis, ad Sacri codicis normam tua examinandi, poteſtatem. Nam difficilius corriguntur, quæ publice iam peccaueris, quam vbi ſtatim in oculis habes illam ex Chriſtiana doctrina cynoſuram: nec par eſt quiuis (vt omittam litigii, vbi tua obtinere contenderis, periculum) deprehendendis, atque emendandis tuis erroribus; quanto pronius, ſuo plurimos publicoque damno corrumpi.

Hisce cautionibus opus eſt, vt ſincera nobis, nec grauibus, quamquam ſpecioſis, temerata erroribus, iuris naturalis doctrina detur. Quod in nullius monemus inuidiam; nec obtrectandi, & altercationi vlli cauſſam quærendi libidine: neque enim facile cuiusquam animo contentioſum & refractarium omne ſcribendi genus minus ſit gratum; ſed ſolo veritatis ſtudio, atque egregii publici, qualem á me muneris & olim geſti, & nunc mandati ratio exigit, cura iuſtisſima. Poſceret iam argumenti, initio propoſiti, ſeries, vt de parentum in liberos, & eorum bona, maxime patris poteſtate ac iure, quantum in his naturæ ac gentium, itemque Romanorum leges, conueniant interſe aut diſcrepent, diſſereremus. Sed non occupanda ſunt omnia: vt reſtet, quod & Candidatus noſter exponat.

Produxit eum in lucem, anno elapſi ſæculi tertio & octogeſimo, v Februarii, Lipſia vrbs, *ſublimibus aurea tectis*, vt a Scaligero patre quondam laudabatur: in quam & Cyprum & Arabas, ipſaque ſedibus ſuis euulſa Serum atque Indica regna, diceres conuenisſe. Adde Parnasſum, cum Themidos ſacrario. Vt certent ibi commerciorum flos, & morum linguæque mirus nitor, cum omnis generis eruditione: in primis, ambigentibus de iure, certa, & per orbem celeberrima oracula edantur. Patri, viro nobilisſimo conſultisſimoque, ANDREÆ MYLIO, in Academia ibidem antecesſori & ſyndico, ſed quatuor abhinc annis præmature erepto; qui hanc prolem ſuam ex ELISABETHA, conſulis apud Ileburgenſes prudentisſimi, IOANNIS FRI-

FRIDERICI, filia susceperat, superstite hac etiamnum, & sexum suum omni virtutis genere ornante; singulare illud debet beneficium, vt præter perpetuam solicitudinem, a teneris educationi suæ impensam, adolescente iam ætate ducem ad iurisprudentiam, & doctorem haberet sollertissimum. Ex quo enim tempore a clarissimo publicæ scholæ moderatore, M. CHRISTIANO CRELLIO, Lycei acroasibus satis præparatus; & studiosorum numero, parente tum Rectore magnifico, additus fuit, philosophiæ præceptis ab amplissimo HARDIO professore imbutus: non tantummodo Institutiones Iustiniani, & Digestorum synopsin, cum feudali iure, itemque in foro procedendi ordinem, ex paterno hausit ore; sed illo quoque præeunte, vmbraticis velitationibus ingenium crebro exercuit. Sublato e viuis non filii modo, sed & reliquæ iuuentutis optimo ac celeberrimo ductore; vt suppleret noster, quod adhuc sibi deerat, priuata institutione veterani, & clari in hac arte ὁδηγοῦ, IO. FRIDERICI MELEY, vsus fuit: præcipue a consultissimo viro, D. FRIDERICO PHILIPPI, affine sibi colendo, cui & aliis nominibus est obnoxius, vlteriore iudiciarii ordinis cognitione, quoque modo orandæ prudenter caussæ essent, diligenter instructus. Neque sola docentium voce; qui error multorum est; proficiendum sibi arbitrabatur. Quare addidit & domesticam lectionem: aucta indies ex scriptoribus, impensius sibi commendatis, tum iuris priuati, tum publici, itemque & vniuersalis illius, quo de supra egimus, eruditione. Postremo accincturus se foro, & ipso rerum vsu, quo nullus dilucidior est præceptorum omnium magister, neruos roboraturus: iam pridem magnifico iureconsultorum in Academia patria Ordini se stitit: a quo, post tentata ex more studia sua, quum nalium luci non immatura deprehenderentur, honesto ornatus est [illegible]onio. Inde caussarum in Electoratu Saxonico patronis adscri[illegible], & consilio atque opera petentibus promtus; postquam res suas postulare intellexit, vt ex Doctoræ elogio decus sibi adderetur: nostrum iureconsultorum modeste adiuit Collegium. Examinatus gemina, vt fieri solet, vice, nec exspectationi nostræ impar: suffragiis cunctis publica etiam, suæ in iure industriæ, iussus est specimina exhibere. Primum edet crastini, vt significauimus, hora decima: estque ea res fauore aut officio breuis auscultationis non indigna. Quam ne denegetis MYLIO nostro, animum deuotum gratumque pollicenti: vos, PROREСTOR Academiæ magnifice, COMITES illustrissimi, Proceres ac Professores omnium ordinum excellentissimi, & quotquot florem studiorum amatis, aut horum gratia apud nos agitis, est quod reuerenter, obsequentissime & amanter rogem. P. P. in Academia Ienensi, XVI Maii MDCCVI.